

annona, quae ceteris. Ad hoc comitatus accinctus et parens. Diceres, magnum aliquem ducem, et te potissimum ad exercitum ire. Adeo nihil, aut certe parum intererat inter imperatorem factum, et brevi futurum. Quam dissimilis nuper alterius principis transitus, si tamen transitus ille non populatio fuit, quum abactus hospitem exerceret, omniaque dextra laevaue perusta et attrita, ut si vis aliqua, vel ipsi illi barbari, quos fugiebat, inciderent. Persuadendum provinciiis erat illud iter, Domitiani fuisse, non principis. Itaque non tam pro tua gloria, quam pro utilitate communi, edicto subjecisti, quid in utrumque vestrum esset impensum. Adsuescat imperator, cum imperio calculum ponere: sic exeat, sic redeat, tamquam rationem redditurus: edicat, quid absumserit. Ita fiet, ut non absumat, quod pudeat dicere; praeterea futuri principes, velint nolint, sciant *tanti tuum constat*: propositisque duobus exemplis meminerint, perinde conjecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc vel illud elegerint.

XXI. Nonne his tot tantisque meritis novos aliquos honores, novos titulos merebare? at tu etiam nomen *patriae* recusabas. Quam longa nobis cum modestia tua pugna? quam tarde vicimus? Nomen illud, quod alii primo statim principatus die, ut imperatoris et Caesaris, receperunt, tu usque eo distulisti, donec tu quoque, beneficiorum tuorum parcissimus aestimator, jam te mereri fatereris? Itaque soli omnium contigit tibi, ut pater patriae esses, antequam fieres. Eras enim in animis, in judiciis nostris: nec publicae pietatis intererat, quid vocarere, nisi quod ingrata sibi videbatur, si te imperatorem potius vocaret et Caesarem, quum patrem experiretur. Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces! ut cum civibus tuis, quasi cum liberis parens, vivis! ut reversus imperator, qui privatus exieras, agnoscis, agnosceris? eosdem nos, eundem te